

schrieben. Abschrift verdanke ich Herrn Prof. Holder-Egger¹.

2a) Reims n. 1146 (793.773), saec. XI. und

2b) Brüssel n. 7487—91 (früher Mus. Boll. Q. Ms. 4), saec. XIII., interpolieren die Stelle zwischen Cap. 30 u. 31 der V. Remigii. Diese beiden Hss. habe ich selbst verglichen.

Temporibus² Chilperici regis Francorum extitit quidam vir nobili prosapia oriundus nomine Moderamnus³, qui gratia Dei quodam praesagio sui nominis prudenter ac moderanter practicam, id est actualem vitam, ducens, Redonensi⁴ meruit ecclesiae ordinari episcopus. Qui, processu temporis succedente, per licentiam praedicti regis praecordiali devotione limina sancti Petri adire disponens, divertit⁵ in monasterium beati Remigii Francorum apostoli, quod est constructum in suburbio Remorum praepotentis urbis, ubi ipse dominus et confessor Christi egregius praetiosissimo requiescit corpore. Ubi cum gratia orationis advenisset, liberalissime a monachis eiusdem loci susceptus, petiit sibi dari, si possibile foret, a⁶ Bernehardo sacri scrinii custode aliquid reliquiarum sanctissimi Remigii; quod ille, ut erat praestabilis super iustis petitionibus, non distulit, quin daret illi particulam de stola et cilicio atque⁷ sudario eiusdem sancti. Quibus gratanter acceptis, mox coeptum carpens iter, post aliquantos dies venit ad montem Bardonium in Italia, ibique nocte quiescens, memoratas in ramo ilicis venerabiliter suspendit reliquias. Cumque diluculo surrexisset et iter coeptum arriperet, immemor reliquiarum, nutu, ut creditur, divino eadem ibi reliquiae remanserunt. Scandente vero episcopo iam montem⁸ Bardonium⁹, recordatus reliquiarum in quercu dependentium, statim¹⁰ direxit suum clericum nomine Vulfadam¹¹, iubens reliquias recipi sibi que afferri. Quo perveniente clerico, nullo ingenio valuerunt reliquiae contingi ab eo, sed in sublimius elevabantur¹² nutu divino. Audiens autem praefatus episcopus hoc miraculum, retrogradiens, in eodem loco fixit tentorium, nitensque illas eadem nocte recipere,

1) Es ist das ungedruckte Mirakel in seinem Reisebericht N. A. XVII, 477. 2) praescr. 'De reliquiis beati Remigii per sanctum Moderannum in Italiam delatis' 2b. 3) 'Moderannus' semper 2b. 4) ita 2a. b; 'Redmensi' (?) 1. 5) 'dev.' 2a. 6) 'ab Ernehardo' 2a; 'ab ernardo' (corr. 'ernado') 2b. 7) 'et' pr. m. superscr. 'atque' 1. 8) 'mortem' corr. 'montem' 1. 9) 'Bardonem' 2a. b. 10) ita 1 cum Flod.; 'ilico' 2a. b. 11) ita 1 cum Flod.; 'Wlfadam' 2a. b. 12) 'sublevabantur' 2a. b.